1885

INDEX

LECTIONVM

QVAE

AVSPICIIS REGIS AVGVSTISSIMI

GVILELMI

IMPERATORIS GERMANICI

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA

FRIDERICA GVILELMA

PER SEMESTRE AESTIVVM

A D. XVI M. APRILIS VSQVE AD D. XV M. AVGVSTI A. MDCCCLXXXV

HABEBVNTVR.

J. Vahlen
De Theocriti idyllis XIV, XII, XVII

BEROLINI
FORMIS ACADEMICIS
(G. VOGT).

INDEX

LECTIONVM

QVAE

AVSPICIIS REGIS AVGVSTISSIMI

GVILELMI

IMPERATORIS GERMANICI

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GVILELMA

PER SEMESTRE AESTIVVM

A D. XVI M. APRILIS VSQVE AD D. XV M. AVGVSTI A. MDCCCLXXXV

HABEBVNTVR.

J. Vahlen
De Theocriti idyllis XXV, XII, XVII

BEROLINI
FORMIS ACADEMICIS
(G. VOGT).

VNIVERSITATIS LITTERARIAE

FRIDERICAE GVILELMAE

RECTOR ET SENATVS.

De Theocriti versibus nonnullis disputaturi sumus, non quo magna aut insignia afferre possimus, sed ut data occasione doctos adulescentes, quibus haec prooemia dicata esse volumus, ad gustandas poetae Syracusani veneres vocemus iisque variam horum studiorum utilitatem philologis non contemnendam et voce et exemplo commendemus.

1 Dicemus autem primum de idyllio decimo quarto, cui Κυνίσκας ἔρως ἢ Θυώνιχος inscribitur, rectius fortasse in Ambrosiano codice 222 (k) mera nomina interlocutorum Αἰσχίνας. Θυώνιχος praefixa sunt: quorum Aeschines, auctor rei, expositis popularem in modum suis cum Cynisca amica discordiis natis carmini rarae iucunditatis laudem vindicat, Thyonichus cum consilia, quibus amicum sublevare studet, ad Ptolemaei Philadelphi laudes convertit, poetae necessitudinem regum Alexandrinorum aut ortam aut orientem prodit. Huius igitur colloquii initium, de quo solo agemus, vulgo sic adornatum interque colloquentium personas divisum edi solet.

ΑΙΣΧΙΝΗΣ.

Χαίρειν πολλὰ τὸν ἄνδρα Θυώνιχον.

ΘΥΩΝΙΧΟΣ.

ἄλλα τοιαῦτα

Αἰσχίνᾳ.

ΑΙΣΧΙΝΗΣ.

ὡς χρόνιος.

ΘΥΩΝΙΧΟΣ.

χρόνιος; τί δέ τοι τὸ μέλημα;

ΑΙΣΧΙΝΗΣ.

πράσσομες οὐχ ὡς λῷστα Θυώνιχε.

ΘΥΩΝΙΧΟΣ.

ταῦτ' ἄρα λεπτός,
χὠ μύσταξ πολὺς οὗτος, αὐσταλέοι δὲ κίκιννοι.
τοιοῦτος πρώαν τις ἀφίκετο Πυθαγορικτάς,
ὠχρὸς κἀνυπόδητος, Ἀθηναῖος δ' ἔφατ' ἦμεν.
ἤρατο μὲν καὶ τῆνος, ἐμὶν δοκεῖ, ὀπτῶ ἀλεύρω.

ΑΙΣΧΙΝΗΣ.

παίσδεις ὤγαθ' ἔχων· ἐμὲ δ' ἁ χαρίεσσα Κυνίσκα
ὑβρίσδει· λασῶ δὲ μανείς ποκα, θρὶξ ἀνὰ μέσσον.

ΘΥΩΝΙΧΟΣ.

τοιοῦτος μὲν ἀεὶ τὺ φίλ' Αἰσχίνα, ἀσυχᾶ ὀξύς,
πάντ' ἐθέλων κατὰ καιρόν· ὅμως δ' εἶπον, τί τὸ καινόν.

Prima sic interpretantur, Aeschinem, illa calamitate oppressum, Thyonichum amicum ad se arcessivisse, ut consilia cum eo sua communicaret; advenientem, post datam et redditam salutem, increpare verbis ὡς χρόνιος, quod non citius ad vocantem advolasset; cui Thyonichum admirabundam interrogationem χρόνιος; regerere, dein quid ille se vellet sciscitari. In quibus sunt quae non satis apte inter se aut cum colloquentium personis conciliari possint. Nam primum, quo maxime duci interpretes videntur, vituperatio quae est in verbis ὡς χρόνιος poterat illa quidem admirantis responso χρόνιος; reiici, ut Aristophanes in Ecclesiazusis (764) Chremetis verbis ὡς ἀνόητος ἦσθ' ἄρα alterum cum admiratione ἀνόητος; respondentem facit; sed vituperatio ipsa non decebat Aeschinem, quippe qui amicum ut volunt ad se vocasset; deinde quoniam plus quam exiguum intervallum credibile non est inter Aeschinis vocationem et adventum Thyonichi intercessisse, ne sic quidem Aeschinem quantumvis morae impatientem Thyonichum illis verbis excipere par fuit, si quidem retinemus vim nominis qua vulgo poni solet, velut apud Lucianum in Timone c. 55 (I p. 406, 15 Bekkeri) Timo Thrasyclem philosophum advenientem conspicatus τί τοῦτο; exclamat παπαῖ, χρόνιος ἡμῖν Θρασυκλῆς, aut in Odyssea 17, 111 de Nestore Telemachus ἐνδυκέως ait μ' ἐφίλει, ὡσεί τε πατὴρ ἑὸν υἷα ἐλθόντα χρόνιον νέον ἄλλοθεν, ut mittamus talia quale hoc est de Euripidis Electra, quam Orestes compellat (1304) ὦ σύγγονέ μοι, χρονίαν σ' ἐσιδὼν τῶν σῶν εὐθὺς φίλτρων στέρομαι, multaque in eadem fabula et in aliis. Quodsi ab hoc usu nominis profecti, relicto sermonis ordine, quaerimus, utri illorum magis conveniant verba ὡς χρόνιος, Thyonicho ea reddere non dubitabimus; quippe Aeschines narrat ipse (v. 44 sq.) se duos prope menses ab hominum consuetudine secretum degisse; et Thyonichus se eum interea non vidisse iis significat quae de Aeschinis aspectu iocatur (v. 3. 4 ταῦτ' ἄρα λεπτός, χὠ μύσταξ πολὺς οὗτος). Qui quod addit cavillabundus (v. 5 sqq.), Pythagoricum quendam nuper similiter affectum ad se venisse mendicantem, ipsa com-

paratio subindicat, non Thyonichum arcessitum ad Aeschinem sed Aeschinem intermisso temporis spatio inexspectatum invisere ad Thyonichum*). Itaque Thyonicho verbis ὡς χρόνιος adscriptis ad eam normam initium colloquii describimus.

ΑΙΣΧΙΝΗΣ.

Χαίρειν πολλὰ τὸν ἄνδρα Θυώνιχον.

ΘΥΩΝΙΧΟΣ.

ἄλλα τοιαῦτα

2 Αἰσχίνᾳ. ὡς χρόνιος.

ΑΙΣΧΙΝΗΣ.

χρόνιος.

ΘΥΩΝΙΧΟΣ.

τί δέ τοι τὸ μέλημα;

Ergo Aeschines adveniens, ut decebat, Thyonichum salvere iubet, ut in Aristophanis Avibus (v. 1581) dii a Iove missi Peithetaero quem quaerebant salutem impertiunt adventantes, τὸν ἄνδρα χαίρειν οἱ θεοὶ κελεύομεν τρεῖς ὄντες ἡμεῖς. Nam quod G. Hermanno, vulgari interpretatione probata, quia τὸν ἄνδρα nomini praemitteretur, Aeschines videbatur Thyonichum a se exspectatum salutare, neque in ἄνδρα hoc inest quod saepe praemitti nominibus solet, neque in articulo, quoniam Aeschines, etiam adveniens, praesentem appellat eum quem invisere volebat**). Immo credibile non est Theocritum si Thyonichum volebat vocatum ad Aeschinem ire non Thyonicho primam tribuisse salutem: nunc Aeschini tribuit. Cui ad se visenti et salutanti postquam Thyonichus salutem reddidit, adiicit, convenienter in eo quem tam diu non vidisset, ὡς χρόνιος. Ita in idyllio decimo quinto cum Gorgo ad Praxinoam venisset eamque a ianua quaereret ἔνδοι Πραξινόα; haec ipsa intus respondit Γοργοῖ φίλα, ὡς χρόνῳ, ἔνδοι, θαῦμ' ὅτι καὶ νῦν ἦνθες. Nam χρόνῳ, ὡς χρόνῳ notum est non secus ac χρόνιος, ὡς χρόνιος de longiore temporis intervallo poni, velut ὦ χρόνῳ φανείς de Oreste dicit Electra in Euripidis tragoedia (578) et Iocasta in Phoenissis (305) ἰὼ τέκνον χρόνῳ σὸν ὄμμα μυρίαις ἐν ἀμέραις προσεῖδον. Qui vero Gorgonem quoque exspectatam a Praxinoa venisse volunt, eorum sententia nec aliis huius idyllii locis probari potest et proximis verbis θαῦμ' ὅτι καὶ νῦν ἦνθες redarguitur; quae verba coniuncta, ut sunt, cum illis ὡς χρόνῳ Praxinoae mentem aperiunt: 'tam diu

*) Hunc errorem de veniente ad Aeschinem Thyonicho iam interpres Graecus praeivit, in ὑποθέσει: Θυωνίχου δέ τινος ἑταίρου προσιόντος αὐτῷ διὰ χρόνου et ad v. 2 τί δέ τοι τὸ μέλαμα: ὁ Θυώνιχος· οἶδα κἀγὼ ὅτι βραδέως ἥκω· τί δέ σοι ἡ φροντίς. Editorum unus Meinekius eam quam defendimus distinctionem adhibuit, 'praeeunte Bergkio,' ut ait in adnotatione. Qui quoniam nec ipse rationes exposuit neque eum quisquam posteriorum secutus est, fortasse non inepte videbimur hanc rem accuratius exsecuti esse.

**) Hermannus (opp. v 95) τὸν ἄνδρα ita interpretatur *eccum quem exspectabam Thyonichum:* qui minus licebat Aeschini venienti dicere *ecce quem volebam Thyonichum?* Ut ex ista interpretatione nihil effici appareat, etiamsi vera esset.

te non vidi, vix ut iam sperare liceret, te umquam venturam'; hoc enim sibi volunt illa 'miraculum est, te etiam nunc (h. e. *auch nur jetzt*) venisse.' Verbis *ὡς χρόνιος* ei cui unice accommodata sunt Thyonicho vindicatis Aeschini relinquitur responsum *χρόνιος*; quo ille affirmat, esse ita ut amicus cum admiratione dixit: quasi illi dicenti 'quam diu te non vidi' respondeat 'sane diu'; id quoque apte nec praeter consuetudinem, velut in Euripidis Electra (505) postquam Electra cum commiseratione dixit *πατέρα τὸν ἐμόν, ὅν ποτ' ἐν χεροῖν ἔχων ἀνόνητ' ἔθρεψάς σοί τε καὶ τοῖς σοῖς φίλοις* senex hoc confirmans respondet *ἀνόνητα*. Sed hoc *χρόνιος*, tristi vultu elatum, quo tamquam totam interiecti temporis miseriam Aeschines complectitur, Thyonicho indicium facit, non sine graviore causa Aeschinem inexspectatum post longinquum tempus ad se invisere; itaque rogat *τί δέ τοι τὸ μέλημα* h. e. 'quid vero tibi curae est aut quae causa istius tristitiae?' Cui Aeschines *πράσσομες οὐχ ὡς λῷστα Θυώνιχε*. Haec omnia, modo recte et ad poetae consilium accipiantur, egregia sunt et egregii poetae manum produnt, qui paucis lineis nullisque *ληκύθοις* adhibitis pingat quos vult *χαρακτῆρας* et legentis ob oculos ponat.

Sed Thyonichus tristitiae nubem pellere de fronte amici cupiens iocari incipit et cavillari horridiorem Aeschinis aspectum.

ταῦτ' ἄρα λεπτός,
χὠ μύσταξ πολὺς οὗτος, ἀυσταλέοι δὲ κίκιννοι.
5 *τοιοῦτος πρώαν τις ἀφίκετο Πυθαγορικτάς,*
ὠχρὸς κἀνυπόδητος, Ἀθηναῖος δ' ἔφατ' ἦμεν,
*ἤρατο**) *μὲν καὶ τῆνος, ἐμὶν δοκεῖ, ὀπτῶ ἀλεύρω.*

At Aeschines parum ad iocorum hilaritatem compositus, se Cyniscae passum esse contumeliam non sine furore quodam iracundiae fatetur.

8 *παίσδεις ὦγάθ' ἔχων· ἐμὲ δ' ἁ χαρίεσσα Κυνίσκα*
ὑβρίσδει· λασῶ δὲ μανείς ποκα, θρὶξ ἀνὰ μέσσον.

Tum Thyonichus:

10 *τοιοῦτος μὲν ἀεὶ τὺ φίλ' Αἰσχίνα, ἀσυχᾶ ὀξύς,*
πάντ' ἐθέλων κατὰ καιρόν· ὅμως δ' εἶπον τί τὸ καινόν.

His versibus diutius immorandum est: multis enim eorum interpretatio impedita est difficultatibus. Scripti sunt fere in libris ut supra posuimus: nam quod Ambrosianus aliique boni libri *ἀσύχα* habent, levis error, qui idem paulo post v. 27

---

*) Scholiasta Ambrosianus haec adnotavit ad v. 7. *Ἐμοί, φησί, δοκεῖν ὅτι ἐν τῷ λιμώττειν ἤρατο καὶ ἐπεθύμει ὀπτοῦ ἀλεύρου, ὅθεν καὶ ὠχρός τις ἦν.* Quae Zieglerus corrupit locupletando *ἤρατο καὶ [ἐκεῖνος, ἤγουν] ἐπεθύμει*. Intelligimus '*ἤρατο* id est *ἐπεθύμει*' genere dicendi scholiastis familiarissimo. Quo eodem usus ad id. xv 76 *ἄγ' ὦ δειλὰ τὺ βιάζευ* adnotavit *ἄγ' ὦ δειλαία βιάζου καὶ σὺ καὶ ὦθει ὥστε σε εἰσελθεῖν*, hoc est '*βιάζου καὶ ὦθει ὦ. σ. εἰ.*' his enim *καὶ ὦθει ὥστε κτλ* explicatur *βιάζου*. Sed Zieglerus inde effecit poetaeque dedit *ἄγ' ὦθει καὶ τὺ βιάζευ*, quae illum interpretem non legisse, legisse autem ea quae in libris tradita sunt, manifestum videtur.

in eadem voce recurrit, pridem certa correctione sublatus est. Sed haec verba ipsa, ἄσυχᾶ ὀξύς, πάντ' ἐθέλων κατὰ καιρόν, quo consilio quave mente dicantur, non sine causa ambigunt interpretes. Nam primum ἄσυχᾶ ὀξύς h. e. 'aliquantulum vehemens' quo iure appellari putatur is quem vehementissimum ac paene ira perditum fuisse et ipsa verba quae hanc animadversionem Thyonichi moverunt et insequens narratio tota patefacit. Neque magis quod idem dicitur πάντ' ἐθέλων κ. κ., quibus verbis hominem modestum tempori cedentem significari credas, aut cum illis verbis, quibus hoc tamquam compar adnecti videtur, aut omnino cum Aeschinis natura qualis est in hoc carmine conspirat. Itaque fuerunt qui, quo haec sententia in contrarium verteretur, κατ' ἄκαιρον vel παρὰ καιρόν restituendum coniicerent: quorum tamen neutri aut oratio aut mutandi facilitas favet*). Quare Meinekius, quamquam recepit a se propositum παρὰ καιρόν, in commentario κατὰ καιρόν fortasse sic interpretandum scribit 'omnia tibi ad libitum, pro ut tibi ipsi καίριον videtur, cedere volens', sententia non inepta; quam paene eandem Ribbeckius κατὰ καῖρον scribendo expressit; sed hoc quod 'ad amussim' esse voluit, non videtur dicendi usu firmari posse. Ad Meinekii interpretationem Hillerus accessit eamque pluribus ornavit: infinitivum ad ἐθέλων audiri, ut in idyllio XV v. 147 ὥρα ὅμως κεἰς οἶκον; nec dativum pronominis ad κατὰ καιρόν (hoc esse καίριον) requiri necessario. De infinitivo, quamquam illud exemplum dissimile videtur, non laboramus, quoniam vel in illa oratione fortasse ne desideratur quidem infinitivus; κατὰ καιρὸν autem adiecto dativo quid significet ex Theocriti id. XXV 66 ἂψ δ' ὄκνῳ ποτὶ χεῖλος ἐλάμβανε μῦθον ἰόντα, μή τί οἱ οὐ κατὰ καιρὸν ἔπος προτιμυθήσαιτο et ex his Herodoti verbis (1, 30) θεησάμενον δέ μιν τὰ πάντα καὶ σκεψάμενον ὥς οἱ κατὰ καιρὸν ἦν, εἴρετο ὁ Κροῖσος perspicuum fit, sine pronomine in eandem vim intelligi posse quae nascitur ex dativo licebit addubitare. Sed ut hoc fieri potuisse largiamur, tamen iam has sententias duas 'aliquantulum acer', 'omnia tibi ad libitum cedere volens' commode se excipere nec Meinekius credidit neque Hillerus interpretando probavit; qui quod urbanitatem quandam dicendi quae minus dicit quam sentit agnoscit in priore, refragatur altera, quae similem urbanitatem non habet. Quam ob rem non 'aliquantulum acer' sed 'nimis es acer, omnia volens tibi ad libitum cedere' dici oportuit. Quo minus autem hae sententiae inter se concinunt, eo magis redit dubitatio, quam vera sit ista interpretatio τοῦ καιροῦ. Apparet interpretes, ea via quam adhuc ingressi sunt, multa temptando nihil quod ab omni parte satisfaciat peperisse. Cuius rei causa posita videtur in eo quod ad unum omnes ad haec verba τοιοῦτος μὲν ἀεὶ τύ epitheton unum et alterum addi existimarunt quo quasi quod insit in pronomine explicetur definitius: quo modo Sophoclis Philocteta loquitur (1271) τοιοῦτος ἦσθα τοῖς λόγοισι χὤτε μου τὰ τόξ' ἔκλεπτες, πιστός, ἀτηρὸς λάθρα; et Rhesus (411)

*) In Pindari Pyth. 10, 4 τί κομπέω παρὰ καιρόν est in libris; interpres Graecus non videtur nisi κατὰ καιρὸν scripturam novisse; unde item κατ' ἄκαιρον effecerunt, parum ut nobis videtur probabiliter.

τοιοῦτός εἰμι καὐτός, εὐθεῖαν λόγων τέμνων κέλευθον, κοὐ διπλοῦς πέφυκ' ἀνήρ. Sed Theocritum quominus eodem nunc dicendi genere usum esse statuamus, retinet, quod nec illa verba ἁσυχᾶ ὀξύς, πάντ' ἐθέλων κ. κ. satis ad hoc consilium facta esse vidimus et quod artius inter se iungi apparet has sententias τοιοῦτος μὲν ἀεὶ τὺ φίλ' Αἰσχίνα et ὅμως δ' εἶπον τί τὸ καινόν h. e. 'talis tu quidem semper es, mi Aeschine' (ut vix quaeri oporteat quid acciderit), 'tamen dicas quid sit novi.' Et est et haec ratio vulgaris admodum sententias per μέν et ὅμως δέ particulas concinnandi, quam cum Theocritus habet in idyllio xv 72 οὐκ ἐπ' ἐμὶν μέν, ὅμως δὲ φυλαξεῦμαι, tum Sophocles in Electra 459 οἶμαι μὲν οὖν, οἶμαί τι κἀκείνῳ μέλον πέμψαι τάδ' αὐτῇ δυσπρόσοπτ' ὀνείρατα, ὅμως δ' ἀδελφὴ σοί θ' ὑπούργησον τάδε ἐμοί τ' ἀρωγά. Euripides quoque in his versibus Electrae artificiosius complicata oratione (898)

ΗΛ. αἰσχύνομαι μέν, βούλομαι δ' εἰπεῖν ὅμως
ΟΡ. τί χρῆμα; λέξον· ὡς φόβου γ' ἔξωθεν εἶ.
ΗΛ. νεκροὺς ὑβρίζειν, μή μέ τις φθόνῳ βάλῃ.

nam cogitatione haec iunguntur, αἰσχύνομαι μὲν νεκροὺς ὑβρίζειν, μή μέ τις φθόνῳ βάλῃ, βούλομαι δ' εἰπεῖν ὅμως. Quodsi hoc modo Theocriti oratio recte explicatur, consequitur, ut ad τοιοῦτος pronomen, quod ipsum spectat ad superiora, nihil requiratur adiectum, illa autem verba ἁσυχᾶ ὀξύς, πάντ' ἐθέλων κατὰ καιρόν, quae sic soluta quasi continuandi pronominis causa addita ad idoneam sententiam revocari non poterant, in unam orationem colligere liceat: quo facto sensus oritur et per se probabilis et huic sermoni vel maxime consentaneus, ἁσυχᾶ ὀξὺς πάντ' ἐθέλων κατὰ καιρόν h. e. 'aegre vehemens est qui omnia vult sicut opportunitas fert'. Nam retinet primum κατὰ καιρόν suam vim propriam et ἁσυχᾶ quod etiam alibi adiectivis praemittitur (quod genus Theophrastus in historia plantarum φύλλον ἀσχιδὲς περικεχαραγμένον ἡσυχῇ appellat, plane ut ἠρέμα ab eadem significatione adiectivis additum est, ἠρέμα γνώριμα, ἠρέμα θερμόν, similia in sermone Aristotelis) nunc cum ὀξύς coniunctum non tam 'aliquantulum acrem' quam sensu paululum variato designat eum qui aegre, non facile, vehemens sit aut iracundus. Ad participium autem subiecti loco positum ne quis articulum vel pronomen indefinitum desideret satis sit memorasse quae Sophoclis interpretes ad Electrae v. 697 ὅταν δέ τις θεῶν βλάπτῃ, δύναιτ' ἂν οὐδ' ἂν ἰσχύων φυγεῖν adnotarunt, quamquam haec et similia criticorum arbitratu e graecitate expelluntur. Haec vero sententia universa, qua qui se suaque vota ad temporis rationem componat non facile iracundiae teneri iudicatur, non illa ad Aeschinem relata sed tamen Aeschinis admonendi causa ἐκ τοῦ ἐναντίου proposita, quoniam is, ut Thyonicho videbatur, illi praecepto normam contrariam sequi solebat, media inter illas sententias duas propius cohaerentes quasi proverbii instar interiecta, et aptissimum locum obtinet et vere Thyonichi urbanitatem refert. Itaque ut mens poetae perspicua fiat hoc modo orationem distingui oportet.

τοιοῦτος μὲν ἀεὶ τὺ φίλ' Αἰσχίνα, ἁσυχᾶ ὀξὺς
πάντ' ἐθέλων κατὰ καιρόν, ὅμως δ' εἶπον τί τὸ καινόν.

Illud addimus, quoniam τοιοῦτος μάν est in bonis libris, Ambrosiano (k) et Mediceo (p), hoc exemplum prave particulae positae indicio esse posse, quam facili errore apud hunc poetam μέν et μάν voculae inter se permutentur. Itaque auctores simus editoribus et illi praecipue viro egregio quem rumor est Theocriti carmina instrumento critico aucta propediem editurum, ut in hoc idyllio v. 57

ὤφελε μὲν χωρεῖν κατὰ νοῦν τεὸν ὧν ἐπεθύμεις
Αἰσχίνα, εἰ δ' οὕτως ἄρα τοι δοκεῖ ὥστ' ἀποδαμεῖν κτλ

etiam praeter libros μὲν restituant, tam aptum huic orationi modo recte distinctae quam μάν quod vulgatur alienum est. Et in idyllio xv 131 olim rectius ut putamus μὲν legebatur quam nunc vel ex Ambrosiano codice paucisque aliis μάν repositum est rursus prava adhibita interpunctione.

νῦν μὲν Κύπρις ἔχοισα τὸν αὑτᾶς χαιρέτω ἄνδρα,
ἀῶθεν δ' ἀμές νιν ἅμα δρόσῳ ἀθρόαι ἔξω
οἰσεῦμες ποτὶ κύματα,

quo eodem modo et Euripides in Electra loquitur (782) νῦν μὲν παρ' ἡμῖν χρὴ συνεστίους ἐμοὶ θοίνῃ γενέσθαι .. ἕῳοι δ' ἐξαναστάντες λέχους κτλ et Theocritus ipse in idyllio undetrigesimo

αἰ δὲ ταῦτα φέρῃν ἀνέμοισιν ἐπιτρόπῃς,
ἐν θυμῷ δὲ λέγῃς 'τί με δαιμόνι' ἐνόχλῃς;'
νῦν μὲν κὴπὶ τὰ χρύσεα μᾶλ' ἔνεκεν σέθεν
βαίην καὶ φύλακον νεκύων πεδὰ Κέρβερον,
τόκα δ' οὐδὲ καλεῦντος ἐπ' αὐλείαις θύραις
προμόλοιμί κε παυσάμενος χαλέπω πόθω

cuius loci nativam venustatem veremur ne non recte perceperint qui aut hiare orationem ante νῦν μὲν aut traiecto versuum ordine poetae subveniendum sibi persuaserunt. Et sunt alia quibus paulo cupidius poetae Dorico Doricam adscribere particulam videntur: quae non persequimur.

II Idyllium duodecimum, cui Ἀίτης inscribitur, ex amatoriis carminibus, quo amator puerum ex intervallo reducem compellat beatus, ab hoc exordio incipit.

Ἤλυθες ὦ φίλε κοῦρε, τρίτῃ σὺν νυκτὶ καὶ ἠοῖ
ἤλυθες, οἱ δὲ ποθεῦντες ἐν ἤματι γηράσκουσιν*).
ὅσσον ἔαρ χειμῶνος, ὅσον μῆλον βραβύλοιο
ἥδιον, ὅσσον ὄις σφετέρης λασιωτέρη ἀρνός,
ὅσσον παρθενικὴ προφέρει τριγάμοιο γυναικός,
ὅσσον ἐλαφροτέρη μόσχου νεβρός, ὅσσον ἀηδὼν
συμπάντων λιγύφωνος ἀοιδοτάτη πετεηνῶν,
τόσσον ἔμ' εὔφρηνας σὺ φανείς, σκιερὴν δ' ὑπὸ φηγὸν
9 ἠελίου φρύγοντος ὁδοιπόρος ἔδραμον ὥς τις.

---

*) Sic interpungimus, quo magis perspicua fiat oppositio, quam poeta voluit.

Totum initium carminis adscripsimus non sine causa, quamquam omissis aliis quae interprete indigeant non disseremus nisi de versibus octavo et nono: de quibus Hauptius dixit (opp. II 78) et adnotavit, fuisse qui haec non recte intelligerent. Nimis vellemus addidisset, qui non recte intellexissent aut quo modo haec intelligerentur recte: nam non facilis diiudicatio est, et interpretes, quos quidem vidimus, plerique tacent, qui vero rem perstringunt, velut ex superioribus Wartonus, Theoph. Kiesslingius, Briggsius, ex recentioribus Fritzschius et Hillerus omnes eandem sententiam sequuntur, quam Wartoni verbis reddere liceat: *ego ad te, o puer, properabam, sicut viator aliquis sole torrente properat sub umbrosam fagum*: nisi quod Fritzschius insuper ἔδραμεν recepit, quod Meinekius in Ambrosiano codice (k) legi testatus est; ac perquam incommode accidit quod Zieglerus, qui in suis editionibus, duabus certe, ἔδραμον edidit, non expresse de primarii codicis scriptura rettulit: verum tamen recte videmur eius silentio fidem habere; quodsi fallimur opinione, fortasse disputatio ipsa probabit poetam quidem non ἔδραμεν sed ἔδραμον scripsisse. Sed Hauptius Theocriti versu usus est, ut artificiosius structam comparationem quae est in Catulli carmine LXIV v. 238 *haec mandata prius constanti mente tenentem Thesea ceu pulsae ventorum flamine nubes aerium nivei montis* liquere *cacumen* ad poetarum Alexandrinorum exemplum conformatam probaret; addiditque similia de poetis Romanis, Horatii C. IV 4, 42 *pulcher fugatis ille dies Latio tenebris qui primus alma risit adorea, dirus per urbes Afer ut Italas ceu flamma per taedas vel eurus per Siculas* equitavit *undas*; Propertii 3, 14, 13 de virgine Spartana *gyrum pulsat equis, niveum latus ense revincit, virgineumque cavo protegit aere caput, qualis Amazonidum nudatis bellica mammis Thermodontiacis turba,* lavatur, *aquis, et modo Taygeti, crines adspersa pruina, sectatur patrios per iuga longa canes.* Retinet enim Hauptius haec verba sic ut a Lachmanno distincta sunt, quo interprete Spartana virgo lavari dicitur ut Amazones lavantur in Thermodonte. Sed Lachmanni rationes quam verae sint, non iniuria addubitatum videtur: nam neutrum satis placet, neque quod Spartana virgo sic nude *lavari* dicitur, neque quod lavari non ut Amazones in Thermodonte sed ut bellica nudatis mammis Amazonidum turba lavatur. Nos dum quaerimus cur hoc modo potissimum Amazones signare Propertius voluerit, in eam opinionem incurrimus, ut puellam quae latus ense revinciat et caput aere protegat cum bellica Amazonidum turba comparari putemus; quo modo solent poetae Amazonum exemplo uti, Propertius ipse 4, 3, 43 *felix Hippolyte,* inquit Arethusa, *nuda tulit arma papilla et texit galea barbara molle caput,* Vergilius Aen. XI 659 sqq. de Camillae comitibus *quales Threiciae cum flumina Thermodontis pulsant et pictis bellantur Amazones armis,* Ovidius Heroid. 21, 118 sq. Hoc si probabiliter statuimus, *lavatur* ad solam *turbam* refertur videturque Propertius eo verbo accolas fluminis Thermodontis significare velle, ut oratio hoc fere modo explicanda sit: 'latus ense revincit et protegit aere caput, qualis (est) bellica Amazonum turba quae aquis Thermodontiacis lavatur.' Sed hoc utut est (neque enim fidenter iudicamus), tu-

tius in hac quaestione ab huius usu exempli abstinebimus. Sed in Propertii locum summittere licet Ovidium, cuius haec sunt in arte amatoria 1, 359 *mens erit apta capi tum cum laetissima rerum ut seges in pingui* luxuriabit *humo.* Nam *luxuriabit,* quod verbum est primariae sententiae, locum habet in comparatione quae suo verbo caret: verbum ipsum, quod de anima translate (cf. art. 2, 437), de segete proprie dicitur, poeta comparationis causa selegit, eoque nomine, praeter collocationem, non dissimilia sunt talia, Lucretii (3, 1043) de Epicuro *qui genus humanum ingenio superavit et omnes* restinxit *stellas exortus ut aetherius sol,* nisi qui forte *omnes stellas* coniungi velit (cf. Ovid. her. XVII (18) 72) et artificiosam illam collocationem vindicare Lucretio; Ovidii metam. 6, 636 *nec mora,* traxit *Ityn, veluti Gangetica cervae lactentem fetum per silvas tigris opacas*; Catulli carm. 11, 21 *nec meum respectet ut ante amorem qui illius culpa* cecidit *velut prati ultimi flos praetereunte postquam tactus aratro est.* Nam verba translata *restinxit, traxit, cecidit* ob praeparandam comparationem posita sunt, ut idem verbum in enuntiato comparativo audiatur. Et his quidem exemplis maxime declaratur quod volumus sola collocatione verbi hoc contineri quod Hauptius ab Alexandrinorum poetarum imitatione repetendum putavit.

Ad istam igitur rationem si versus Theocritei a quibus haec disputatio profecta est compositi sunt, necesse est interpretemur cum vulgo, *τόσσον ἔμ' εὔφρηνας σὺ φανείς, καὶ ἔδραμον, ὡς ὁδοιπόρος τις ἡλίου φρύγοντος σκιερὰν ὑπὸ φηγὸν (τρέχει)*: ita enim sane mira videri illa collocatio verbi possit, sed ut simul intelligatur, vim omnem comparationis in sola *currendi* notione positam. Neque tam hoc offendimus quam quod poeta, si hoc voluerat, non saltem addiderit, quod abesse vix potuisse existimes, 'in aspectum tuum', vel 'in complexum tuum cucurri'; ille vero tantum 'cucurri' dicit 'ut viator sub umbram currit.' Nam interpretes cum ita sensum reddunt *ἔδραμον πρὸς σέ* vel *properavi at te,* nimirum de suo addunt, ne plane manca sit sententia, quod a poetae oratione abest. Quo magis mirere, eos hac explicatione acquievisse et ne quaesivisse quidem quid sit quod poeta illa *σκιερὰν ὑπὸ φηγὸν ἡλίου φρύγοντος* tantum ad viatorem pertinere voluerit neque ea ad informandum amatoris animum converterit, cum praesertim post illud grande exordium gravius quiddam et amplius exspectaveris quam ieiunum illud *cucurri* sive dis placet *cucurri ad te.* Et properatio quo depingeretur non unum paratum erat, ardore solis et umbra fagi in promptu erat uti ut voluptas amatoris recepto puero ex ardenti desiderio felicis extolleretur simili: id quod et rei natura evincit et exempla docent, qualis vel illa est comparatio qua Clytaemnestra Aeschylea, per simulationem illa quidem, Agamemnonis reditum prosequitur (v. 930 sqq.) *ῥίζης γὰρ οὔσης φυλλὰς ἵκετ' ἐς δόμους σκιὰν ὑπερτείνασα σειρίου κυνός. καὶ σοῦ μολόντος δωματῖτιν ἑστίαν, θάλπος μὲν ἐν χειμῶνι σημαίνεις μολών κτλ.* Atque hanc esse mentem Theocriti vetus interpres Graecus existimavit, qui haec adnotat, noviciis enarratoribus neglecta: v. 8 *τόσσον με εὔφρανας: πρὸς τὴν ὑπερβολὴν τῆς διαφορᾶς ἀπέδωκεν· ἔστι γὰρ τοιοῦτον·*

ὅσον τόδε διαφέρει, τοσοῦτον καὶ σὺ φανεὶς ἐμὲ ηὔφρανας· ὥστε [ἔδραμον]*) σκιερὰν ὑπὸ φαγόν: ἐπαινέσαι ἄν τις ἐκ τῆς παραβολῆς τὸν ποιητήν· παραβάλλει γὰρ τῷ μὲν πόθῳ τὸ καῦμα, τῇ δὲ παρουσίᾳ τοῦ ἐρωμένου φηγὸν κατασκιάζουσαν. Quae cum vere esse exposita arbitremur, iam sic rationem concludimus, currendi notionem omnino ad puerum non referri, neque festinationis causa viatoris exemplum ascitum esse, sed hanc esse summam comparationis sententiam, τόσσον ἔμ' εὔφρηνας σὺ φανείς, σκιερὰν δ' ὑπὸ φηγὸν ἠελίου φρύγοντος ἔδραμον: quae est integra oratio sic ut per se sola constare potuerit non adiecto simili; velut apud Pindarum Nem. 3, 20 εἰ δ' ἐὼν καλὸς ἔρδων τ' ἐοικότα μορφᾷ ἀνορέαις ὑπερτάταις ἐπέβα παῖς Ἀριστοφάνευς, οὐκέτι πρόσω ἀβάταν ἅλα κιόνων ὑπὲρ Ἡρακλέος περᾶν εὐμαρές translata est oratio nulla addita comparatione. Sed accedentibus verbis ὡς ὁδοιπόρος τις cum ex metaphora fiat εἰκών, ut Aristoteles docet (rhet. 3, 4), tum audacia si qua est metaphorae, patefacta eius origine, mitigatur. Ut enim viator urente sole ad umbram fagi properare dicitur, ita amator ducta ab illo oratione semet ob desiderati pueri reditum sole ardente sub umbrosam fagum cucurrisse profitetur. Quo genere comparationis haud ita raro poetae Graeci utuntur, e quibus pauca seligimus exempla. Aeschylus in Choephoris (493)

παῖδες γὰρ ἀνδρὶ κληδόνες σωτήριοι
θανόντι, φελλοὶ δ' ὣς**) ἄγουσι δίκτυον
τὸν ἐκ βυθοῦ κλωστῆρα σῴζοντες λίνου,

idem in Agamemnone (1132)

καὶ μὴν ὁ χρησμὸς οὐκέτ' ἐκ καλυμμάτων
ἔσται δεδορκὼς νεογάμου νύμφης δίκην,
λαμπρὸς δ' ἔοικεν ἡλίου πρὸς ἀντολὰς
πνέων ἐσᾴξειν, ὥστε κύματος δίκην
κλύζειν πρὸς ἀκτὰς τοῦδε πήματος πολὺ μεῖζον,

quae non uno sed triplici exemplo eius formae quam dicimus insignia sunt; quibus addas ex eadem fabula 1270 οὔτοι δυσοίζω θάμνον ὡς ὄρνις φόβῳ. Pindari talia sunt: Pyth. 1, 90 εἴπερ τι φιλεῖς ἀκοὰν ἁδεῖαν αἰεὶ κλύειν, μὴ κάμνε λίαν δαπάναις, ἐξίει δ' ὥσπερ κυβερνάτας ἀνὴρ ἱστίον ἀνεμόεν; et Pyth. 11, 39, de se dicente poeta, ἤ μέ τις ἄνεμος ἔξω πλόου ἔβαλεν ὡς ὅτ' ἄκατον εἰναλίαν. Atque his eandem speciem prae se ferens succedat versus Theocriti 3, 54 item ab interpretibus non ut oportebat explicatus, κεισεῦμαι δὲ πεσὼν καὶ τοὶ λύκοι ὧδέ μ' ἔδονται· ὡς μέλι τοι γλυκὺ τοῦτο κατὰ βρόχθοιο γένοιτο. In his exemplis omnibus manifestum est id quod de comparata re proprie dicitur translatum esse figurata oratione in eam quae comparatione illustratur: filii dicuntur rete sustinere, id quod proprie cadit in subera, homo liberalis vela

*) Ziegleruss post ὥστε interstitio relicto nonnulla omisit quae legi in codice non potuerint: addidimus ut sententia significaretur et oratio aliquo modo continuaretur ἔδραμον.

**) Eadem comparatione usus Pindarus (Pyth. 2, 80) ἀβάπτιστός εἰμι, inquit, φελλὸς ὣς ὑπὲρ ἕρκος, ἅλμας.

ventis dare iubetur, quod gubernatoris est: ita amator Theocriteus dicitur urente sole sub umbram arboris properasse, quod proprium est viatoris. Cum hoc autem comparationis genere nihil communionis est versibus Catulli aut Horatii, quos cum Theocrito composuit Hauptius, in quibus nihil figuratae orationis habetur sed componuntur comparandi causa plenae sententiae duae: *dirus Afer per urbes Italas equitavit ceu flamma per taedas vel eurus per undas (equitat); mandata Thesea liquere ceu nubes montis cacumen (linquunt).* Atque in his quidem memorabilis est iste positus verbi a summa sententia in mediam comparationem traiecti quae ipsa verbum non habet: apud Theocritum series orationis mira videri poterat interpretanti ἔδραμον δέ, ὡς ὁδοιπόρος τις ἡλίου φρύγοντος ὑπὸ σκιερὰν φηγὸν (τρέχει), in nostra ratione, cum summae sententiae quae est σκιερὰν δ' ὑπὸ φηγὸν ἡλίου φρύγοντος ἔδραμον addantur verba ὡς ὁδοιπόρος τις (h. e. ne quis verbum desideret 'instar viatoris' sive ὁδοιπόρου δίκην), hic ordo verborum ὁδοιπόρος ἔδραμον ὥς τις non magis memorabilis videri debet quam in idyllio VII quod legitur (v. 76) εὖτε χιὼν ὥς τις*) κατετάκετο μακρὸν ὑφ' Αἷμον aut in idyllio XVII 107 οὐ μὰν ἀχρεῖός γε δόμῳ ἐνὶ πίονι χρυσὸς μυρμάκων ἅτε πλοῦτος ἀεὶ κέχυται μογεόντων. Itaque veremur ne Hauptius versus Theocritei rationem non recte aestimaverit, ac nobis quidem non fit credibile illam orationis formam artificii quiddam Alexandrini referre aut Catullum et Horatium in suis versibus poetarum Alexandrinorum artem secutos.

Verum genus ipsum orationis comparativae quod Theocriti versui vindicavimus, quamquam a Catulli carmine alienum videtur, scriptoribus Romanis non inusitatum fuisse multa exempla monstrant; velut, ut paucis utamur imprimis apertis, Horatius Sat. 2, 5, 82 cum Tiresiam ita praecipientem facit Ulixi

sic tibi Penelope frugi est: quae si semel uno
de sene gustarit tecum partita lucellum,
ut canis a corio numquam absterrebitur uncto,**)

aut Tacitus cum dicit in dialogo c. 36 *magna eloquentia sicut flamma materia alitur et motibus excitatur et urendo clarescit,* aut Quintilianus inst. or. 1, 2, 14 *non enim vox illa praeceptoris ut cena minus pluribus sufficit, sed ut sol universis idem lucis calorisque largitur*, apparet sententias figurate efferri addita comparatione

---

*) Sophocles quoque μάτηρ ὡσεί τις postposita ὡς particula ut saepe.

**) Ad idem genus referendum est fortasse quod Ovidius scribit (am. 2, 19, 26) *pinguis amor nimiumque patens in taedia nobis vertitur et stomacho dulcis ut esca nocet.* Quae is certe non intellexit qui ita interpunxit *et stomacho, dulcis ut esca, nocet*: unde inepta oritur sententia; nam non amorem stomacho nocere sed amorem ut dulcem escam stomacho nocere voluit poeta, neque solum *nocet* ad amorem refertur sed totum hoc *ut dulcis esca stomacho nocet* transfertur in amorem qui taedio sit. Translate *nocet* quod de *dulci esca* proprie dicitur in eodem carmine v. 35 positum est, *quidlibet eveniat, nocet indulgentia nobis,* h. e. taedio est: idem in tertia Heroidum epistula 116 *pugna nocet, citharae noxque venusque iuvant.*

quae originem metaphorae aperiat. Quae qui recte perpenderit et huius dictionis naturam penitus perspexerit, dabit fortasse in his Senecae versibus de dormiente post perpetratam caedem Hercule (1088) *nec adhuc omnes expulit aestus sed ut ingenti vexata noto servat longos unda tumultus et iam vento cessante tumet* non esse quod partem orationis qua comparatio perficeretur memoriae vitio interiisse arguamus. Sic enim qui cum Withofio statuit Fr. Leo cum haec supplementa orationis mutilae proponeret *tumet* [*sic pristina adhuc quatit ira virum*], addi iussit quibus videmur carere posse, si quidem illud dicendi genus agnoscimus quo quod proprie de unda noto vexata dicitur per metaphoram convertatur in Herculem, hoc eo facilius quia comparatio praeparata iam erat verbis *nec adhuc omnes expulit aestus,* cum *aestus* proprie sint maris. Non minus integra et pari ratione explicanda arbitramur haec de Claudiani Raptu Proserpinae (2, 209 sqq.)

ille velut stabuli decus armentique iuvencam
cum leo possedit nudataque viscera fodit
unguibus et rabiem totos exegit in armos,
stat turpis crassa sanie nodosque iubarum
excutit et viles pastorum despicit iras;

quae Ieepius eodem quo Senecae editor desiderio ductus imperfecta esse ratus post *Ille* v. 209 talem versum addendum coniecit *ille* [*tamen fervens ira non frangitur alta Mente*] *velut* (cf. Ritschelii Act. I p. 357). Sed haec verba *stat turpis crassa sanie .. et viles pastorum despicit iras,* quae proprie sane de leone dicta sunt, simul transferuntur in Plutonem qui rapta Proserpina stare et despicere dearum auxilio advolantium iras et inanes impetus dicitur. Quae si recte interpretamur, intelligitur utroque loco supplementa ipsa quae docti homines proposuerunt a poetarum sensu abludere, altero etiam locus, ubi hiare oratio creditur, isti rationi adversatur. Quo magis cavendum est ne additamentis inutilibus aut pravis de poetarum arte detrahamus. In qua re ne quis nos nimium audaciae Senecae aut Claudiano attribuere insimulet, extremum sit Vergilii exemplum, qui cum (Aen. 9, 337) Nisi furiosam caedis cupiditatem simili illustrat,

impastus ceu plena leo per ovilia turbans
(suadet enim vesana fames) manditque trahitque
molle pecus mutumque metu, fremit ore cruento,

singula verba proprie leonem significant, nec tamen quicquam mente addendum est, quod interpretes voluerunt, neque de defectu cogitandum, sed sic est interpretandum, ut quae de leone eadem intelligantur de Niso, *Nisus ceu leo impastus mandit trahitque*; sic enim demum recte adnectentur insequentia *Nec minor Euryali caedes.*

III Aliud quoddam genus orationis comparativae priusquam finem disputandi faciamus paucis perstringere animus est, cuius explicandi causam petimus ex versibus nono et decimo idyllii decimi septimi quod Ptolemaei Philadelphi lau-

dibus dicatum est. Sed ab initio carminis incipiendum est. Itaque Theocritus, ut huius laudationis luculentius sit prooemium, ab his versibus orditur.

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα καὶ ἐς Δία λήγετε Μοῖσαι
ἀθανάτων τὸν ἄριστον ἐπὴν ᾄδωμεν ἀοιδαῖς,
ἀνδρῶν δ' αὖ Πτολεμαῖος ἐνὶ πρώτοισι λεγέσθω
4 καὶ πυμάτοις καὶ μέσσος· ὁ γὰρ προφερέστατος ἀνδρῶν.

De tribus verbis primis cum in ὑποθέσει idyllii memoretur Ἀρατείᾳ κέχρηται εἰσβολῇ, de hoc principio πάντα τεθρυλημένα, ut paene taedeat de eo verba facere, quamquam, ut verum fateamur, nos longe dissentimus ab iis qui scholiastae testimonio confisi pro certo affirmant, Theocritum hoc introitu usum esse Aratei carminis memorem quod ab iisdem verbis incipiat. Praeter enim haec tria verba ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα utrobique sane conspicuo loco collocata reliqua quae cum his verbis coniuncta sunt in utroque carmine non tenui discrimine discedunt. Etenim Aratus quidem iure ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα praefatur, quoniam, quod cum argumento carminis coniunctum est, hymno Iovem prosequitur, cui mortales cum alia vitae commoda accepta tulerint tum signa caelestia operum rusticorum horas indicantia, de quibus cum maxime acturus est poeta, v. 8 λέγει δ' (ὁ Ζεύς) ὅτε δεξιαὶ ὧραι καὶ φυτὰ γυρῶσαι καὶ σπέρματα πάντα βαλέσθαι. αὐτὸς γὰρ τάδε σήματ' ἐν οὐρανῷ ἐστήριξεν. Theocritus autem nihil de Iove praedicaturus est hoc carmine, sed hoc dicit, cum optimum immortalium celebrare carmine velimus, a Iove incipiendum et in Iove desinendum esse; neque hoc tam Iovis causa dicit quam propter Ptolemaeum, quem insequens sententia ut mortalium optimum principio et in fine celebrari iubet. Itaque verba quidem eadem sunt sed sententia diversa, neque ἐκ Διὸς ἄρχεσθαι hic et illic idem significat; ut verendum sit, si haec Arati causa a Theocrito initio carminis posita esse volumus, ne nimium tribuamus fortuito consensui verborum quae nihil habent quod peculiare sit ac non a multis ante dictum*). Sed de Aratea εἰσβολῇ, in quam nos paene inviti incurrimus, quidquid ab hominibus doctis iudicatur, Theocritum intelligimus has sententias duas quibus exordium idyllii ornavit, quamquam ora-

*) Ut Hesiodus ait theog. 47 δεύτερον αὖτε Ζῆνα, θεῶν πατέρ' ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν ἀρχόμεναί θ' ὑμνεῦσι θεαὶ λήγουσί τ' ἀοιδῆς, ὅσσον φέρτατός ἐστι θεῶν κράτεΐ τε μέγιστος. Pindarus Nem. 2 in. ὅθενπερ καὶ Ὁμηρίδαι ῥαπτῶν ἐπέων ταπόλλ' ἀοιδοὶ ἄρχονται, Διὸς ἐκ προοιμίου. ibid. 5, 25 αἱ δὲ πρώτιστον μὲν ὕμνησαν Διὸς ἀρχόμεναι σεμνὰν Θέτιν. Ion Chius (apud Athenaeum XI p. 463) σπένδοντες δ' ἁγνῶς Ἡρακλέι τ' Ἀλκμήνῃ τε, Προκλέι, Περσείδαις τ' ἐκ Διὸς ἀρχόμενοι πίνωμεν. Sed quia vulgo haec tantum tria verba ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα tamquam Theocrito cum Arato communia laudantur, paene verendum est ne neglecta utriusque poetae oratione ab hoc errore mentis inducamur. Sic ad id. XV, 8 τοῦθ' ὁ πάραρος τῆνος postquam Meinekius 'Sophoclem Oed. Tyr. 1329 τάδ' ἦν Ἀπόλλων' adscripsit, omnes deinceps Theocriti interpretes eodem exemplo utuntur; quod ubi evolveris totamque orationem inspexeris apparet diversum esse: Ἀπόλλων τάδ' ἦν, Ἀπόλλων, φίλοι, ὁ κακὰ κακὰ τελῶν ἐμὰ τάδ' ἐμὰ πάθεα; et Sophoclis quidem interpretum nemo dubitavit quin verba sic iungerentur Ἀπόλλων ἦν ὁ τάδε κακὰ τελῶν.

tione solutas composuit, comparationis vinculo contineri voluisse, ut mentem quidem poetae hoc modo recte interpretari videamur: 'sicut a Iove incipiendum et in Iove desinendum est, si optimum immortalium celebrare carmine volumus, ita mortalium optimus si laudandus est, Ptolemaeum in primis et postremis laudari oportet.' Quae si est sententia poetae, ut putamus, non probandum est quod novissimi editores Theocriti levi unius codicis indicio abusi v. 4 *ἄλλων* posuerunt, pro eo quod consensu librorum firmatum adhuc vulgabatur *ἀνδρῶν*; nam quamvis illa notissima sit dicendi ratio, *ὁ γὰρ προφερέστατος ἄλλων*, qua Theocritus in Berenica (*ὁ γὰρ φιερώτατος ἄλλων*) et Callimachus h. Del. 156 (*φιλοξεινωτάτη ἄλλων*) multique inde ab Homericis carminibus usi sunt, tamen hoc loco non sola librorum memoria sed sententiae ratio et contrariorum pondus alterum tuetur, *ὁ γὰρ προφερέστατος ἀνδρῶν*.

Subsequitur alterum sententiarum par, item quadam comparationis vel oppositionis ratione coniunctum, quo ex illa universa sententia iam suum Theocritus profitetur propositum.

ἥρωες τοὶ πρόσθεν ἀφ' ἡμιθέων ἐγένοντο
ῥέξαντες καλὰ ἔργα σοφῶν ἐκύρησαν ἀοιδῶν·
αὐτὰρ ἐγὼ Πτολεμαῖον ἐπιστάμενος καλὰ εἰπεῖν
ὑμνήσαιμ'· ὕμνοι δὲ καὶ ἀθανάτων γέρας αὐτῶν.

Heroes prisci suos nacti sunt vates: ego vero Ptolemaeum hymno celebrabo, quo nihil est etiam immortalibus gratius.

Pedetemptim et quasi per gradus quosdam progrediens poeta tertium prooemii *κῶλον* subiicit quo iam propius ad ipsam rem accedit.

Ἴδαν ἐς πολύδενδρον ἀνὴρ ὑλατόμος ἐλθὼν
παπταίνει παρεόντος ἅδην πόθεν ἄρξεται ἔργου.
τί πρῶτον καταλέξω, ἐπεὶ πάρα μυρία εἰπεῖν
οἷσι θεοὶ τὸν ἄριστον ἐτίμησαν βασιλήων.
ἐκ πατέρων οἷος μὲν ἔην τελέσαι μέγα ἔργον
Λαγείδας Πτολεμαῖος, ὅτε φρεσὶν ἐγκατάθοιτο
βουλάν, ἃν οὐκ ἄλλος ἀνὴρ οἷός τε νοῆσαι.

Primorum versuum sententiam interpres Graecus explicuit: *ὥσπερ εἰς τὴν Ἴδην τὴν πολύδενδρον ὑλοτόμος ἐλθὼν ἔργου πολλοῦ προκειμένου σκοπεῖ πόθεν ἄρξεται, οὕτω δὴ κἀγὼ ἀπορῶ πόθεν πρὸς ὕμνον εἰσβάλλω.* Hoc enim voluisse Theocritum manifestum est, qui, sicut in prima (et altera) huius prooemii particula sententiam comparativam nulla comparationis formula vinxit, sic nunc simile per se solum ponit, dein addit sententiam, cui simile inserviat. Quod genus et nunc scite orationi adhibuit Theocritus et eodem iterum usus est in idyllio XIV.

μάστακα δοῖσα τέκνοισιν ὑπωροφίοισι χελιδὼν
ἄψορρον ταχινὰ πέτεται βίον ἄλλον ἀγείρειν·
ὠκυτέρα μαλακᾶς ἀπὸ δίφρακος ἔδραμε τήνα
ἰθὺ δι' ἀμφιθύρω καὶ δικλίδος ᾇ πόδες ἆγον.

Nam pridem emendatione certa restitutum est δοῖσα quod erat δ' οἷα in libris, sed illud etiam scholiastes legit qui orationis formam hoc modo circumscribit: οὐχ οὕτω τις χελιδὼν τροφὴν δοῦσα τοῖς νεοσσοῖς ταχέως πάλιν ὑπέστρεψεν ἐπὶ τὸ ἑτέραν κομίσαι, ὡς ἐκείνη λιποῦσα τὸν δίφρον διὰ τῶν θυρῶν ᾤχετο. Tertium addimus eiusdem formae comparativae exemplum ex idyllio XIII depromptum.

62 νεβροῦ φθεγξαμένας τις ἐν οὔρεσιν ὠμοφάγος λῖς
ἐξ εὐνᾶς ἔσπευσεν ἑτοιμοτάταν ἐπὶ δαῖτα·
Ἡρακλέης τοιοῦτος ἐν ἀτρίπτοισιν ἀκάνθαις
παῖδα ποθῶν δεδόνητο, πολὺν δ' ἐπελάμβανε χῶρον.

Haec enim Ambrosiani codicis scriptura est quam interpres Graecus confirmat cum haec adnotat ad v. 62 νεβρῶ φθεγξαμένας· οὐκ ἤρτηται [ἀλλὰ] καθ' ἑαυτό*). διασαφηνιστέον δὲ οὕτω· νεβροῦ φθεγξαμένης λέων τις κατ' ὄρος ᾐσθημένος καταλιπὼν τὴν εὐνὴν ὀξέως ἂν ἐπιδράμοι πρὸς τὴν βορὰν ἐπειγόμενος· τοιούτῳ δὴ τῷ θυμῷ καὶ Ἡρακλῆς τότε συσχεθεὶς περιῄει τὴν ὕλην τὸν Ὕλαν ἀναζητῶν. Qui vero illis vulgo praemitti solet versus (61) in ceteris libris traditus

61 ὡς δ' ὁπότ' ἠυγένειος ἀπόπροθι λῖς ἐσακούσας

eum interpolationis nota insignem Zieglerus merito seclusit; neque enim cum proximo versu νεβροῦ κτλ apte in unam orationem iungi potest et consilium addendi apertum est; reliqua verba quod Zieglerus maxime scholiasta duce in hanc formam redegit,

62 νεβροῦ φθεγξαμένας τις ἐν οὔρεσι λῖς ἐσακούσας
ἐξ εὐνᾶς σπεύσαι κεν ἑτοιμοτάταν ἐπὶ δαῖτα·
τοῖος χἠρακλέης τότ' ἐν ἀτρίπτοισιν κτλ,

non negamus probabilem et poeta haud indignam orationem esse, sed neque hunc ordinem Ἡρακλέης τοιοῦτος neque vero aoristum ἔσπευσεν in afferendo simili iure vituperari concedimus; versum autem 62 illa forma certe non legit, qui versum 61 suo marte adiicere animum induxit; denique interpretem Graecum, qui paulo liberius, ut solet, sententiam poetae circumscribit, credibile non est, alia legisse quam quae in codice Ambrosiano scripta sunt. Ex huius libri scriptura Madvigius quoque profectus comparativam tamen particulam restitui iussit hac forma (Adv. I 295) νεβροῦ φθεγξαμένας δ' ὡς [ἐν] οὔρεσιν ὠμοφάγος λῖς (hoc enim eum voluisse credimus, quamquam ἐν delere casu oblitus est); cui in ea re assentimur quod praeterea nihil movendum in hac oratione censuit, quod vero comparationem non addita particula stare posse negat et diversa esse quae ex idyllio XIV Zieglerus attulerat, nobis non persuasit; immo ita censemus et illa recte comparata esse et melius etiam haec quae nos nunc disceptamus ex idyllio XVII comparari potuisse. Qui enim haec tria exempla in summa re mirifice inter se conspirantia cum cura re-

---

*) Zieglerus edidit οὐκ ἤρτηται καθ' ἑαυτό, quae aut non intelligimus aut distingui oportet ut inter se opposita; maluimus etiam ἀλλὰ addere.

cognoverit, eum putamus dubitaturum de nullo. Neque desunt similia apud alios poetas, velut Aeschyli verba in Agamemnone (309) ὄξος τ' ἄλειφά τ' ἐγχέας ταὐτῷ κύτει διχοστατοῦντ' ἄν, οὐ φίλω, προσεννέποις. καὶ τῶν ἁλόντων καὶ κρατησάντων δίχα φθογγὰς ἀκούειν ἔστι συμφορᾶς διπλῆς (cf. ibid. 930 sqq. quibus verbis supra p. 11 usi sumus), aut quae Pindarus Nem. 4, 82 ὁ χρυσὸς ἑψόμενος αὐγὰς ἔδειξεν ἁπάσας, ὕμνος δὲ τῶν ἀγαθῶν ἐργμάτων βασιλεῦσιν ἰσοδαίμονα τεύχει φῶτα, ad eundem modum comparationem formatam habent, ne dicamus nobilissimum carminis Olympici primi initium; et Pindarus, cui hoc genus valde familiare fuit, plerumque artificiosius perpolivit, ut tamen in magna varietate eandem orationis formam saepe agnoscas. Sed omissis aliis, etiam Theocriteis, quae huc referre liceat, illis tribus exemplis quarto loco adiiciendum putamus, quamvis aliquid proprii habeat, hoc quod in eodem idyllio decimo septimo legitur.

Ἀργεία κυάνοφρυ, σὺ λαοφόνον Διομήδεα
μισγομένα Τυδῆι τέκες Καλυδωνίῳ ἀνδρί,
ἀλλὰ Θέτις βαθύκολπος ἀκοντιστὰν Ἀχιλῆα
Αἰακιδᾳ̃ Πηλῆι, σὲ δ' αἰχμητὰ Πτολεμαῖε
αἰχμητᾳ̃ Πτολεμαίῳ ἀρίζηλος Βερενίκα.

In versu 54 Καλυδωνίῳ ἀνδρί scripsimus coniectura usi Ed. Hilleri, qui quod vulgatur Διομήδεα .. Καλυδώνιον ἄνδρα quas dubitationes afferret recte perspexit; quod restituendum proposuit Τυδῆι .. Καλυδωνίῳ ἀνδρί cum rei accommodatum est tum subtili aequabilitate orationis adiuvatur quam poeta his tribus sententiis studiose sectatus est. De consilio Theocriti quod his versibus exsecutus sit, non possumus praeterire opinationem quandam quam Ioannes Gustavus Droysenus, vir immortalis memoriae, in libro celeberrimo cui 'historiam hellenismi' inscripsit vol. III, 1 p. 324 n. exposuit. Achillem enim et Diomedem ob diversitatem ingenii inter se opponi ratus Theocritum putavit etiam Ptolemaeo, qui ipse cum Achillis 'lucida natura' conferretur, oppositum voluisse eiusdem aetatis principem, Diomedis moribus qui similis fuisset: quem nomine appellare, quia ultro quis diceretur quivis intelligens lector cognovisset, supersedisse, fuisse autem Antigonum Demetrii filium. Haec quae alii probarunt nobis eo genere divinandi parta videntur quo Droysenus, ut erat homo imprimis ingeniosus, in hac penuria testimoniorum non ita raro usus est, ut etiam carminibus huius aetatis quae cum rerum memoria coniuncta essent, nonnumquam opinando affingeret quae inesse cuperet, saepeque iis tum maxime interpretando noceret, cum artem eorum adiuvare aut a crimine absurdi levare sibi videretur. Velut hoc loco incredibile videtur, prudentem poetam adeo ratione excidisse ut cum eo quem unice extollere cupiebat Ptolemaeo alterum eiusdem aetatis principem, illi qui natura et moribus oppositus esset, comparari vellet; quod si tamen voluit Theocritus, tacendo effecit, nemo ut hanc miram eius voluntatem augurari posset. Nos divinandi arte procul habita, dum verba interpretamur, ita existimamus, Theocritum, ut Ptolemaei Philadelphi hoc patre et hac matre geniti

natales insigni quadam laude impertiret, clarissima quae heroum aetas tulit aut Homerica carmina noverunt fortis ingenii exempla duo proposuisse, quibus pari ordine et aequabili oratione tertius adnecteretur Ptolemaeus, ut ille hoc modo non minus clarus quam Achilles et Diomedes nec minus claris quam illi parentibus natus imprimis bellica laude iis compar diceretur; ita enim poeta in reliqua orationis concinnitate *λαοφόνον Διομήδεα, ἀκοντιστὰν Ἀχιλῆα, αἰχμητὰν Πτολεμαῖον* composuit. Quod vero ratio qua illa tria nomina coniungi intelligimus nulla voce indicatur sed ex ipsis comparatis nominibus necesse est perspiciatur, hac parte putamus hoc exemplum tribus quae ante disceptavimus accedere, discedere autem ab iis maxime eo quod Achilles, Diomedes exempla sunt, non similia, qualia illi loci habent. Atque hoc genus idem poeta, quo saepius iam per hanc disputationem usi sumus, praeivit, Pindarus, velut cum ita dicit Nem. 9, 39 *λέγεται μὰν Ἕκτορι μὲν κλέος ἀνθῆσαι Σκαμάνδρου χεύμασιν ἀγχοῦ, βαθυκρήμνοισι δ' ἀμφ' ἀκταῖς Ἑλώρου, ἔνθ' Ἀρέας πόρον ἄνθρωποι καλέοισι, δέδορκεν παιδὶ τοῦτ' Ἀγησιδάμου φέγγος ἐν ἁλικίᾳ πρώτᾳ*, quae sic interpretantur 'ut Hectori ad Scamandrum gloria floruit, sic Chromio ad Helorum iam in prima adulescentia', et Pyth. 1, 76 *ἀρέομαι πὰρ μὲν Σαλαμῖνος Ἀθαναίων χάριν μισθόν, ἐν Σπάρτᾳ δ' ἐρέω πρὸ Κιθαιρῶνος μάχαν, ταῖσι Μήδειοι κάμον ἀγκυλότοξοι, παρὰ δὲ τὰν εὔυδρον ἀκτὰν Ἱμέρα παίδεσσιν ὕμνον Δεινομένευς τελέσαις*; 'quae nihil sibi volunt aliud' (Schneidewini verba sunt p. 192) 'quam praestantissimas Atheniensium et Spartanorum victorias de barbaris reportatas aequari pugna Himerensi; et ut Athenis et Spartae nihil acceptius sit auditu quam victorias illas, sic nihil iucundius Dinomenidis quam Himerensem victoriam laudibus celebrari.' Quibus fortasse adiici licet Aeschyli de Choephoris v. 928 *ἔμολε μὲν δίκα Πριαμίδαις χρόνῳ, βαρύδικος ποινά· ἔμολε δ' ἐς δόμον τὸν Ἀγαμέμνονος διπλοῦς λέων, διπλοῦς Ἄρης*, certius autem iis adiungimus Propertii versus (2, 1, 37) quibus Maecenatem appellat, *bellaque resque tui memorarem Caesaris, et tu Caesare sub magno cura secunda fores*, ubi significatis Caesaris rebus illustrioribus, ita pergit:

te mea musa illis semper contexeret armis,
  et sumpta et posita pace fidele caput.
37 Theseus infernis, superis testatur Achilles,
  hic Ixioniden, ille Menoetiaden,

ac speramus fore, hoc dicendi genere, quod poetarum artem imprimis decet, plenius perspecto, ut desinant critici haec integerrima verba (v. 37. 38) et hoc poeta maxime digna, quia exempla allata comparationis vinculo carent, in corruptelae aut interpolationis crimen rapere. Illud addimus de versu Theocriteo, *ἀλλὰ* particulam (v. 55), quae maxime Droysenum a vera ratione abduxit, ne quis in gravioris oppositionis vim accipiat ab hoc loco alienam, ut saepe *μὲν* particulae respondere, ita nunc sine *μὲν* non aliter positam quam vel apud Pindarum Nem. 2, 20 *παρὰ μὲν ὑψιμέδοντι Παρνασῷ τέσσαρας ἐξ ἀέθλων νίκας ἐκόμιξαν, ἀλλὰ Κορινθίων ὑπὸ φωτῶν ἐν ἐσλοῦ Πέλοπος πτυχαῖς ὀκτὼ στεφάνοις ἔμιχθεν ἤδη, ἑπτὰ δ' ἐν Νεμέᾳ*, aut *at* in Propertii versu 3, 11, 62

Curtius expletis statuit monumenta lacunis, at Decius misso proelia rupit equo, et saepius apud Tibullum.

Tandem e diverticulis revertimur ad versus Theocriti, e quibus egressi sumus. Qui quod ita scribit

Ἴδαν ἐς πολύδενδρον ἀνὴρ ὑλατόμος ἐλθὼν
παπταίνει, παρεόντος ἅδην, πόθεν ἄρξεται ἔργου.
τί πρῶτον καταλέξω, ἐπεὶ πάρα μυρία εἰπεῖν κτλ,

non iam mirabimur quod simile quo utitur seorsum positum nulla particula comparativa cum summa sententia coniungitur, verum illud forsitan non iniuria mirum alicui videatur, quod ne ex altera quidem parte summa sententia simili adnectatur vel illo modo quo interpres Graecus orationem circumscribit *οὕτω δὴ κἀγὼ ἀπορῶ πόθεν εἰσβάλλω* vel ut in idyllio XIII *Ἡρακλέης τοιοῦτος*, sed non sine hiatu orationis ex comparatione lignicidae Idaei continuo transiliatur ad dubitantis poetae interrogationem *τί πρῶτον καταλέξω*, cuius praeparandae ac declarandae causa comparatio instituta est. In qua conformatione orationis quamquam nos aliquid duritiei persentiscere videmur, tamen iidem hoc ferendum esse censemus neque ex ea re sola suspicionem de vitio capere licere: nisi forte aliunde argumentum accedat, quo probabile reddi possit, poetae orationem hac parte integram non esse servatam. Quod quale sit ut patefiat, accuratius quam ab interpretibus fieri solet, verba *ἐκ πατέρων* v. 13 expendenda sunt: quae non ea vi posita videntur, qua in idyllio XXIV, 106 *Εὔρυτος ἐκ πατέρων μεγάλαις ἀφνειὸς ἀρούραις*, vel in idyllio XVI, 33 *ἀχὴν ἐκ πατέρων πενίην ἀκτήμονα κλαίων* (cf. id. XXII, 170); neque enim satis apte Ptolemaeus Lagides a patribus acceptam habere dicatur virtutem quam ipsi propriam et ingenitam vel maxime declarare voluit poeta verbis *οἷος μὲν ἔην τελέσαι μέγα ἔργον ὅτε φρεσὶν ἐγκατάθοιτο βουλὰν ἂν οὐκ ἄλλος ἀνὴρ οἷός τε νοῆσαι**). Itaque *ἐκ πατέρων* non de Lagidae sed de Philadelphi patribus interpretabimur, commodius haud dubie, cum praesertim haec verba duo complectantur *ἐκ πατέρων οἷος μὲν ἔην Λαγείδας Πτολεμαῖος* (v. 13) et *οἷα δ' ἐν πινυταῖσι περικλειτὰ Βερενίκα* (v. 34). Quamquam vel sic aliquid dubitationis haeret in forma partitiva *ἐκ πατέρων* h. e. 'e numero parentum' (cf. id. XXV, 117), quia Theocritus de pluribus quam de patre et matre Philadelphi dicturus non est. Inter vetustiores interpretes fuerunt qui haec ita redderent '*ut a maioribus ordiar*', non inepte ad sensum, sed ut orationi non satisfieret. Sed perpensis omnibus dum hac potissimum via nos expedire difficultate conamur, probabile visum est, haec verba *ἐκ πατέρων* ab insequenti oratione segregata responsum con-

*) Certe nobis diversa ratio videtur sententiae Pindaricae (Pyth. 8, 45) *φυᾷ τὸ γενναῖον ἐπιπρέπει ἐκ πατέρων παισὶν λῆμα*, et quae huic similia sunt; neque Odysseae versus (2, 272) *εἰ δή τοι σοῦ πατρὸς ἐνέστακται μένος ἠΰ, οἷος ἐκεῖνος ἔην τελέσαι ἔργον τε ἔπος τε, οὔ τοι ἔπειθ' ἁλίη ὁδὸς ἔσσεται*, ex quibus Theocriti oratio colorem duxit, illum sensum firmare poterunt.

tinere ad superiorem interrogationem de initio capiendo relatum: quo modo solent poetae sibi interrogantibus respondere ipsi, cum alii, de quibus in prooemio a. MDCCCLXXXII diximus, tum Theocritus ipse id. XXII, 25 *Κάστορος ἦ πρώτου Πολυδεύκεος ἄρξομ' ἀείδειν; ἀμφοτέρω ὑμνέων Πολυδεύκεα πρῶτον ἀείδω* (cf. id. XVI, 13 sq.). Sed hoc responsum cum ad sensum illius interrogationis, non ad eius formam recte referatur, hoc indicio usi, ut simul illi offensioni occurramus quae ex transitu facto a comparatione ad primariam sententiam nasci videbatur, librariorum culpa versum detritum suspicamur, quo recuperato et hiatus ille orationis quem diximus suppleatur et interrogationis formam responso convenientem nanciscamur, velut hoc exemplo

Ἴδαν ἐς πολύδενδρον ἀνὴρ ὑλατόμος ἐλθὼν
10 *παπταίνει, παρεόντος ἅδην, πόθεν ἄρξεται ἔργου.*
[τοῖος παπταίνω κἀγὼ πόθεν ἄρξομαι ὕμνου,]
11 *τί πρῶτον καταλέξω; ἐπεὶ πάρα μυρία εἰπεῖν*
οἷσι θεοὶ τὸν ἄριστον ἐτίμησαν βασιλήων.
ἐκ πατέρων. οἷος μὲν ἔην τελέσαι μέγα ἔργον
14 *Λαγείδας Πτολεμαῖος.*

In quo ne quis dubitet *ἐκ πατέρων* est 'a parentibus' quod ut sensu poscitur ita usu comprobatur. Duplicis autem interrogationis quam addendo effecimus, *πόθεν ἄρξομαι ὕμνου, τί πρῶτον καταλέξω*, exemplum esto Theocriteum 2, 64 *νῦν δὴ μούνη ἐοῖσα πόθεν τὸν ἔρωτα δακρύσω; ἐκ τίνος ἄρξωμαι; τίς μοι κακὸν ἄγαγε τοῦτο;* et hoc Propertii 1, 18, 5 *unde tuos primum repetam, mea Cynthia, fastus? quod mihi das flendi, Cynthia, principium?*

Diximus, quid nobis verisimile visum sit, quamquam nihil firmius contendimus. Si nos deceperit coniectura, gratum facient interpretes dubitationem quae nos irretiverit accuratius interpretando eximentes. Interim nos non poenitebit, si tamen contigerit, ad poetici sermonis naturam rectius aestimandam nonnihil contulisse.

Scr. m. Dec. a. MDCCCLXXXIV.